O. 3. Promiſſio præmij uberrimi, iuxta:

- *Teſtimonia, et quidem:*
  - *Scriptura, videl:* *Exo. 20. Facis miſericordiam in millia etc. Eſa. 64. 1. Cor. 2: Quod oculum non vidit, neq; auris audiuit. &c. Pſal. 145. Cuſtodit Dominus omnes diligentes ſe. Rom. 8: Diligentibus Dominum omnia cedunt in bonum. &c.*
  - *Patrum: videl:*
    - *Auguſtini, ut: Per viam veræ charitatis oportet currere, ſi ad æternam vitam feliciter voluerimus peruenire. Idem: Quanto flagrantius Deum diligimus, tanto ſerenius eum videbimus.*
    - *Dionyſij, De Diuinis nom: Ad viſionem cœleſtis gloriæ neceſſe eſt, vt homo exerceat ſe in Dei amore. &c.*
- *Exempla, nimirum:*
  - *Abrahami. &c.* Fiſch.
  - *Dauidis. &c.*
  - *Chriſti ipſius. &c.*

P. 2. De vitiis dilectioni Dei contrariis, quorum 2. ſunt:

- *1. Odium Dei & amor mundi, quem tamen Deus extremè deteſtatur, Rom. 8. Senſus carnis eſt inimicitia aduerſus Deum. Iacob. 4: Amicitia mundi eſt inimicitia* Dei. *Item: Quicunq; voluerit amicus eſſe ſeculi huius, inimicus Dei conſtituitur. Vnde etiam Chriſtus ipſe inquit, Matth. 6: Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire. &c. 1. Iohan. 2: Nolite diligere mundum, neq; ea, quæ in mundo ſunt. &c.*
- *2. Dilectio hypocritica: qua homines Deum diligunt, donec fruuntur bonis eius, his verò deficientibus, contrarium declarant. &c.*

DE VERO TIMORE DEI, ET ei contraria Epicurea ſecuritate.*

Loci duo:

- *1. De vero timore Dei per membra 3:*
  - *1. Qualem hic Timorem Dei intelligamus, videlicet non ſeruilem, ſed filialem. &c.* Walth. Fiſch.
  - *2. Quid ſit verus Dei timor. Indicatur hoc:*
    - *Generaliter, per ejuſmodi definitionem: Verus Dei timor eſt expaueſcere cogitatione iræ Dei, aduerſus peccatum, & metu iræ ac judicii diuini vitare delicta, & ſe reuerenter Deo ſubjicere, & voluntate ac verbo Dei omnia conſilia & omnes actiones, in vita ſpirituali & ciuili gubernare,* Chytr. Muſc. Fiſch. Hun. Menc. Walth.
    - *Specialiter, Vide liter. Q.*
  - *3. Vid. lit. R.*
- *2. Vide lit. S.*